I. N. J. 19.

DE

JURAMENTO AMBITUS ET REPETUNDARUM,

ex l. fin. C. ad L. Jul. Repetund.

SUB PRÆSIDIO

DN. HENRICI Linckens/ JCti,

Sereniſs. Duc. Palatino-Solisbac.
& Inclut. Reipubl. Norib. Conſiliarii,
Pand. Prof. Publ. nec non Facult. Jurid.
h. t. DECANI,

DN. PRÆCEPTORIS SUI omni obſervantiæ cultu proſequendi,

in alma ALTDORFFINA

d. Septemb.

ANNO M DC XCV.

Publice disputabit

A. R.

BENJAMIN HENRICUS Schwartz/
Dresd. Miſn.

Excudebat HENRICUS MEYERUS, Univerſitatis Typographus.

EXORDIUM.



Ultos admodum, eosq; varios, ambiendi *atq; postulandi* officia *astutia humana excogitatos esse* modos, *tam notum est, quam notissimum, ut adeo prolixiori evolutione non indigeat. Eapropter vel tribus solum indicasse sufficiat verbis, hos omnes esse partim* licitos, *partim etiam* illicitos, *quod jam olim agnovit eloquentiæ Romanæ Princeps,* Cicero, scil. in Orat. contra Sallust. *Ad licitos præter ambitum, quem* Cicero cit. loc. *popularem esse perhibet, dum quis precibus, observantia, acceptis pro Republica vulneribus, operam suam Reipublicæ offert, judiciumq; de se faciendum populo permittit, quam maxime pertinet ista ambiendi ratio, quando sufficienti doctrina ac peritia rerum instructus se suaq; studia Principi aut Superiori offert, vel ipso Apostolo teste,* dum. 1. Tim. 3. vers. 1. *inquit:* Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat &c. *quibus verbis non peccare eum innuit, qui propter dona, sibi divinitus concessa, ut DEO atq; proximo inserviat, modeste suam Ecclesiæ atq; Reipublicæ spondet operam. Quare hunc conatum haud improbandum esse dicit* Myler. ab Ehrenbach in Hyparcholog. cap. 7. §. 7. Wann / *uti se habent verba ipsius formalia,* ein Lands-Kind seinen Fürsten / Herrn / oder Obrigkeit seine Dienste anerbietet / weiln er nunmehro bey Jahren / seine *Studia* ziemlich weit gebracht / sich hin und wieder in Amts- oder Regiments-Geschäfften geübet / und seinen Vaterlande / vor andern / zu dienen verbunden sey. *Imo prudentiores antiqui in Republica administratione hoc Ambitionis genus necessarium fuisse putarunt. Nam, ut* Tacitus Lib. XI. Annal. c. 22. *testatur, apud Majores id virtutis præmium fuerat, cunctisq; ci-*

vium, si bonis artibus fiderent, licitum, palam petere magistratum, ac ne ætas quidem distinguebatur; Juvenibus siquidem concessum erat ad summos honores adspirare, toga candida circumire populum, singulorumq; animos captare, ac virtute contendere. Vid. hanc in rem Sveton. in Aug. cap. 38. *Quinimo ob honorem decretum aut decernendum Reipublicæ ac Patriæ aliquid promittere, sicq; non tantum prece, sed etiam pretio munera publica à Principe, aut ab eis, qui clavum Reipublicæ tenent, Jure Romano postulari potuisse,* ex l. 3. ff. de Pollicit. l. 19. pr. ff. d. Donat. *aliisq; textibus sat abunde liquet. Moris namq; fuit, ut ambientes munera publica, aut honorem, ad ludum gladiatorium, spectaculum, aut ad aliud quodcunq; opus publicum pecuniam promitterent, ac pollicitatione offerrent, quam postmodum Respublica quasi debitam exigebat,* per d. l. 3. & 6. ff. de Pollicitat. *Equidem hanc pollicitationem, ob honorem decernendum Principi factam, inter leges abrogatas recenset* Simon à Grœnweg. ad tit. ff. de Pollicit. n. 6. *ex eô, quod pecuniâ hoc modo vendatur, quod virtutis præmium esse debet; Ipsi tamen haud improbabiliter contradicit* Myler ab Ehrenbach cit. cap. 7. §. 11. & seqq. *Siquidem in Rege aut Principe non locum habet Lex Julia de Ambitu, quippe qui est dominus officiorum; Neq; hæc pollicitatio correspectivam inducit obligationem, ut Princeps aut Respublica ad honorem decernendum aut munus committendum hoc modo obligetur, sed unilateralis & μονόπλευρος potius est, quæ libero Superiorum arbitrio relinquit, num pollicitanti spartam quandam concredere velint, nec ne,* Joh. Cöppen. lib. 2. Obs. 136. n. 3. *Egregia sunt, quæ hanc in rem proponit* Petr. Ærod. Rer. jud. lib. 9. tit. 6. c. 2. *sequentibus verbis:* Veruntamen antiqui cum ambitum damnarunt, non gratiam, atque observantiam damnabant. Non id agebatur legibus, ut suffragatio, ut officiosa amicitia, ut gratia tolleretur. Semper fuerunt boni Viri (inquit Cicero) qui apud tribules suos gratiosi esse vellent. Neque tam durus

durus in plebem Ordo Senatorius fuit, ut eam coli modica liberalitate nollet. Ipsam adeo legem, ne cui album vestimentum addere petitionis causa liceret, abiisse in desvetudinem. Ipse Marcellinus Imperator statuit, ut qui Coss. fieri vellent, nihil æris in populum spargerent: pecuniam certe statutam ad reparandum urbis aquæductum, dependerent, inquit Marcellinus Comes in Chronico. Hæc verò reprehendebantur: decuriatio tribulium, descriptio populi, suffragia largitione devincta: si mercede corrupti obviam candidatis issent: si conducti sectarentur: si gladiatoribus vulgo locus tributus, si prandia vulgò data essent: contra leges factum videbatur. Ista enim revera coitiones, conjurationesq; esse adversus rempublicam, quæ neque honorum adipiscendorum causa licent. *Declaratione hac suppofita hodiernum, nostrù præcipue temporibus, quibus Respublica propter bellicas clades variis premitur oneribus, haud prohibitum aut improbatum erit, ipsi aut patriæ ob honorem consequendum aliquid polliceri aut promittere, quamvis rariora istius pollicitationis occurrant exempla. Illiciti modi iterum latissime se diffundunt, atq; peraguntur non tantum per mercaturam suffragiorum, pretio factam, quam sæpius comitatur fumi venditio, dum vana spe & promissionibus officium ambientes lactantur; (Fumis siquidem ac per fumum vendere idem est, ac per vanitatem vendere, cum quis acceptis muneribus illa pollicetur à Principe, quæ aut præstare non possit, aut etiam nolit, unde prodiit dictum Imperatoris Alexandri:* Fumo pereat, qui fumos vendidit,) *Sed etiam per nundinationes honorum, quas tamen hactenus Gallia atq; ad ejus imitationem nonnullæ aliæ admiserunt Respublicæ, bene an male, ex sequentibus patebit. Vid. interim cum* Zyp. lib. 1. de Jud. c. 32. n. 5. Mornac. ad l. 1. C. d. Offic. Mag. offic. Jacob. Zevecot. in not. ad Flor. c. 12. *aliisq;* Dn. Tabor ad l. un. C. de Suffrag. peric. 4. §. 28. *deniq; aliis illicitis & improbatis arti-*

 bus,

bus, quarum infinita ferè extant exempla, quæ eo ipso accumulantur, dum haud pauci per fas & nefas ad honores & officia grassantur, erogatâ quoq; hanc in rem notabiliori summâ pecuniæ, ad cujus resarcitionem postmodum in officiis publicis constituti summa miscent imis, indiscreta munera accipiunt, adeoq; Ambitum *cum* Repetundarum *accumulant crimine. Ad hæc itaq; perniciosa Reipublicæ delicta arcenda ac vitanda, optimi remedii loco* Juramentum Ambitus atque Repetundarum *jam olim receptum fuisse legimus, ut eo ipso, tanquam vinculo, constringantur omnes, qui ad officia publica assurgunt. De q; hoc* Juramento *specimine hoc Academico brevissimis dicturi sumus, ita quidem, ut* primo generalia *ad Ambitum atq; Repetundas spectantia proponantur, indeq;* existentia *hujus Juramenti deducatur, ejusq;* definitio *præmittatur, postea* justitia *istius evolvatur, idq; tandem* specialiter *per suas partes & causas explicetur. Faxit DEUS, ut eventus correspondeat voto.*

CAPUT I.

Generalia ad Ambitum & Repetundarum crimen pertinentia præmittit, indeque Existentiam hujus Juramenti deducit, ejusque Definitionem proponit.

SUMMARIA.

§. 1. Ambitus ab ambiendo & circumeundo nomen accepit, Dignitatis autem gratia populum ambire olim erat licitum, ubi quibus modis contigerit. §. 2. Ritus hujus ambitus perstringit Cicero, & variæ quoque contra eum successivè promulgatæ fuerunt leges. §. 3. In statu Imperatorio *L. Jul. d. Ambit.* cessasse dicit *Modestin.* quod quomodo factum, hoc §. explicatur, permansit tamen nomen & crimen Ambitus. §. 4. Contra quod postmodum variæ prodierunt Constitutiones, sc. *l. 1. C. Theod. ad L. Jul. de Ambit. & l. pen. C. si cert. pet.* §. 5. quibus non refragatur *l. un. C. de Suffrag.* quæ non loquitur de ambitu, nec ad eum pertinet emtio Militiæ. §. 6. Denique nostra *l. ult. C. ad L. Jul. Repet. & Nov. 8.* §. 7. Quia in *d. l. ult.* fit mentio etiam criminis Repetundarum, ideo de eo quoque agitur, & additur, id quoq; vocari Barattariam, ubi, unde Barattaria dicatur. §. 8. *L. ult. C. ad L. Jul. Repet.* autorem habet Theodosium juniorem, Cur autem Valentiniano consorti inscribatur, ex observantia Imperatorum, de quâ hic agitur, æstimandum.

§. 9. Con-

§. 9. Contextus *d. l. ult.* continet tres partes, quæ recensentur. §. 10. Ejus tenorem repetiit *Justinian. in Nov. 8.* cujus contenta æque ac elogia recensentur. §. 11. Plures officii Præsidum partes *in d Nov.* proponuntur, quibus adjicitur Juramentum ab illis præstandum, cujus formula, quæ horrenda fere est, consideratur. §. 12. Ex antecedentibus deducitur existentia hujus Juramenti, ubi de ejus denominatione, juramento in genere, atque definitione hujus juramenti.

§. 1.

AMbitus verbum, ab ambiendo dictum, quid significet, ex *Etymo* sat cognosci & intelligi potest. *Am* enim pro *circum* Veteres usurpabant, adeoq; *ambire* pro circumire dicebant. Cum ergo eorum, qui honores petebant, partes in prensando consisterent, quod sine circuitione fieri haud poterat, hoc verbo quævis dignitatum petitio denotari cœpit, eo, quod ambire populum solerent earundem candidati. Vid. *Anton. Matthæi ad lib. 48. ff. tit. 11. num. 1. atque Ziegler. in Dicast. sive de Offic. Jud. conclus. 7. §. 1.* Ambire autem populum dignitatis acquirendæ gratia olim non erat illicitum, nisi leges violarentur. Omnis siquidem petitionis ratio posita erat in *Amicorum* & *Populi* voluntate concilianda. Et quidem *Amici* vocabantur non solum illi, qui aliquâ necessitate conjuncti erant, sed &, qui aliquid in candidatos ostendebant voluntatis. *Prioris* generis erant cognati, affines, sodales, vicini, collegæ, contribules, clientes, municipes: *Posterioris* salutatores, deductores, sectatores, suffragatores, quibuscum omnibus ita agere debebat candidatus, ut sentirent studia sua ipsi gratissima esse. *Populi* studia conciliabantur *nomenclatione*, *blanditia*, *assiduitate* & *benignitate*. Nomenclatione, ut homines nosset candidatus, & suo quemque salutaret nomine, quem in finem servi nomenclatores dabantur: *Blanditia* in eo consistebat, ut & frons & vultus candidati, nec non sermo ad quorumcunq; sensum & voluntatem commutaretur, quod, etsi cæteroquin vitiosum & turpe est, in hac petione tamen necessarium habebatur: *Assiduitatis* erat, non solum esse Romæ, atque in foro, sed & in conciliabulis Italiæ, in quibus cives negotiandi causa versabantur, eosdemque comiter appellare, nec quicquam committere, ut quis se contemtum quæri posset: *Benignitas* denique consistebat in conciliando populo congiariis, prandiis, gladiationibus exhibendis ac præmiis dividendis. Ex quibus priora omnia extra pœnam erant, postremum verò, nempe divisio pecuniarum & suffragio-

fragiorum emtio lege vindicabatur. Vid. *Anton. Matth.* ex eoque *Dn. Ziegler. cit. loc.*

§. 2. Sed hæc conveniebant populo Romano seculo tali, quo in adulationes atque assentationes propendebat. Quapropter ritus istos non solum plus simplice vice perstringit *Cicero in Orat. pro Muren.* aliisq; *a Ziegl. cit. concl. 4. §. 8.* adductis locis; Verum etiam, cum nec in hoc ambiendi genere delinquendi cessarit ratio, multæ Leges de ambitu fuerunt latæ, quas enumerant *Sigonius* & alii, inter quas haud postrema fuit *Julia*, sive à *Julio Cæsare*, sive ab *Octavio Augusto* lata, uterque enim de Ambitu tulit legem. Fuit autem promulgata contra eos, qui non palam, sed clam, corruptis, sive per se sive per adstipulatores, suffragiis, aut conductâ turbâ honores ambierunt. Hæcque maxime necessaria fuit, quoniam, prout *Varro, Cæsaris* σύγχρονος, testatur, tanta ea tempestate honorum cupiditas plerorumq; animos ita invasit, ut vel cœlum ruere exoptarent, dummodo magistratum adipiscerentur.

§. 3. Postquam verò ad curam Principis magistratuum creatio pertinere cœpit, in urbe Româ Legem Juliam de ambitu cessasse dicit *Modestin. in l. un. ff. ad L. Jul. de Ambit.* non quod non amplius deinceps venderentur officia, aut in monarchico Statu nulla occurreret illicita honorum petitio, sed quod non amplius per suffragia populi eligeretur magistratus, sed potius à Principe, adeoq; cessaret singularis ista per ambitum popularem seu ambitionem captatio favoris popularis. Alioquin Imperatorum temporibus honores ita venales facti sunt, ut abjectissimi quoque ad eos promoverentur, quod comprobat exemplum Bargæ, Laodiceni cujusdam, *à Zosimo lib. 5.* relatum, qui, cum venditor farciminum extitisset, ad illam mox dignitatem pervenit, ut inter primates palatii militaret. Hocque non tantum, corruptis illis Principum temporibus contigit, quibus volentibus Principibus dignitates venales existebant, sed etiam tùm, cum Principes id non permitterent. Fuerant siquidem varii Principes hoc crimine immunes; sed eodem maxime infecti erant Consiliarii, aliive, qui multum apud Imperatores valebant, quorum suffragia & intercessiones sæpius ingenti redimebantur pretio. Quo magis itaque Principum & Imperatorum quis palatinis & ministris suis se concredidit, & obnoxium reddidit, eo magis vitium hoc vires acquisivit & incrementa habuit. Permansit

fit itaque nomen Ambitus, quamvis parum æſtimetur favor populi, quem ambire olim oportebat.

§. 4. Ut ergo pernicioſo huic malo obicem ponerent, atque exoſam ſuffragatorum redemtionem inhiberent, novis conſtitutionibus, quibus antiquas de Ambitu leges renovarent, opus eſſe cenſuerunt optimi quivis Principes. Et quidem *Arcadius* ac *Honorius* Impp. ut alias conſtitutiones anteriorum Imperatorum taceamus, confiſcatione bonorum, nec non exilio, & cœptum & perfectum Ambitum punire voluerunt *in l. 1. C. Theod. ad L. Jul. de Ambit.* cum leges pari ſorte ſcelus & ſceleris coërceant voluntatem. vid. uberius *Jac. Gothofr. in not. ad d. l.* Illam conſtitutionem, quæ anno Chriſti 397. promulgata fuit, poſt decennium, anno ſc. 408. excepit alia, *Honorio & Theodoſio* Autoribus, quæ *in l. pen. C. Juſt. Si cert. pet.* proponitur, in qua is, qui judici fœnebrem pecuniam mutuavit, quaſi emtor legum atque provinciæ, vel ſi quis collectarius honoris pretium dederit ambienti, exilii pœnâ unà cum ipſo judice plectitur, cujus legis ſententiam cum aſſequi non potuiſſet *Claud. Salmaſ.* more ſuo auſus eſt lectionem integri textus corrumpere, & *in tract. de Uſur. c. 5.* pro *verſatur*, legere *ſervatur*, alio plane ſenſu, quam interpretationem tamen, tanquam ineptam, adductis variis hanc in rem argumentis rejicit *Tabor ad l. un. C. de Suffrag. peric. 4. §. 26.* Equidem hanc legem plane non de Ambitu accipiendam eſſe cenſet *Anton. Matth. de Crimin. Tit. de Ambit. c. 1. num. 4.* propterea, quod titulus de ſuffragio ſtatim ſubjungatur, qui nundinationem talem permittere videtur, quare eandem ita explicat: *Præſidem exilio plecti, non ideò, quod ambierit hanc ſpartam, ſed quod pecunia collectarii Præſes factus, ſe & honorem ſuum quodammodo collectario mancipârit;* Rectius tamen eam ad Ambitum ſpectare, inq; illa honores cum poteſtate conjunctos emercari prohibitum eſſe, docet *Tabor cit. §. 26.* Add. *Cujac. ad Nov. 8.*

§. 5. Quod verò in *l. un. C. de Suffrag.* quam propterea apertam ſanctionem aulicam *Arius Pinell. ad l. 1. C. de bon. matern. p. 3. num. 64.* atque conſtitutionem aulicam *Francifc. Duaren. lib. 2. Anniverſ. c. 21.* nominant, Imper. Theodoſ. conſtituit, id, ut bene obſervavit *Jacob. Gothofred. ad d. l. un.* non accipiendum eſt de honorum ſuffragiis, ſeu de ſuffragatoribus pecunia mercandis, quippe de quibus jam aliter cautum fuerat in *C. Theod.* imediate antecedente conſtitutione, ſed de deſideriis aliis nominatim explican-

dis, idque non solum vocabulum desiderii ostendit, sed etiam exinde colligere licet, quod nulla *in d. l. un.* fiat mentio judicum aut magistratuum & eorum ambitus. Dabantur præterea militiæ, h. e. officia, quæ emi & vendi poterant, ut patet ex *l. 52. §. 2. ff. de Act. emt. l. 22. de Leg. 2. l. fin. C. de Pignor. & Nov. 53. c. 5.* sed quæ potestate destituebantur. Propter ista verò suffragatoribus aliquid promittere non prohibitum, nec legi de ambitu contrarium fuisse videtur. Vid. post *Brunner. de Collat. Matth. Stephan. ad Nov. 53. c. 5.* aliosq; plures Interpretes *Dn. Lauterbach. in Tract. Synopt. de legal. sive tacit. hypoth. th. 66.* Non igitur ab his desideriis, & licitis circa ea suffragiis, argumentari licet ad dignitatum aliarum & potestatum collationes, ac si etiam hæ per quandam veluti mercaturam conferri possint. Hinc & merito ab objecto suffragiorum licitorum excipit *Tabor. cit. loc.* functiones civiles cum potestate conjunctas.

§. 6. Denique post annos triginta alia constitutio, *à Theodosio & Valentiniano* anno C. 439. promulgata, prodiit, quæ in *l. ult. C. ad L. Jul. Repetund.* sequentibus proponitur verbis: *Sancimus, ejusmodi viros ad provincias regendas accedere, qui ad honoris insignia non ambitione vel pretio, sed probatæ vitæ & amplitudinis tuæ solent testimonio promoveri: ita sane, ut quibus hi honores per sedis tuæ vel per nostram fuerint electionem commissi, jurati inter gesta depromant, se pro administrationibus sortiendis, neq; dedisse quippiam, neq; daturos unquam postmodum fore, sive per se sive per interpositam personam in fraudem legis sacramentiq; : aut venditionis donationisve titulo aut alio velamento cujuscunq; contractus: & ob hoc (exceptis solis solatiis) nihil penitus tam in administratione positos, quam post depositum officium pro aliquo præstito beneficio tempore administrationis, quam gratuito meruerunt, accepturos &c.* Qua constitutione *primitus* cautum fuit, ut Judices ac Magistratus in exordio suscepti officii *de ambitu non commisso* atque *muneribus non accipiendis* jurarent, sive promitterent, se pro officio acquirendo nihil, neque per se, neque per alios, dedisse, aut promisisse, nec etiam, præter salarium, ab ullo quicquam vel durante officio vel deposito, pro eo, quod gratis præstare debent, accepturos, vid. *Brunnem. ad l. ult. C. ad L. Jul. Repet. n. 1. & 2.* Consimilem post annos pene centum, Christi sc. 535. Imperator Justinianus edidit constitutionem *in Nov. 8.* qua sancivit, ut Præses futurus, aut ille, cui administratio committitur,

tur, conceptis verbis vel coram ipso Principe, vel coram ejus delegato, vel coram Metropolitano & Primatibus provinciæ juraret: Se nihil cuiquam vel munerum vel patrocinii nomine dedisse aut promisisse; gratuitum quoque Magistratum se puris manibus administraturum, & contentum fore annonis ac stipendiis ex publico sibi constitutis atque assignatis, quod prolixius legi poterit *in Nov. ipsa*, ad quam videri possunt *Jacob. Cujac. Conrad. Rittershus. Matth. Stephan. & alii.* Atque ex his omnibus jam ratio coërcendi hanc pessimam nundinationem, ab Imperatoribus tam sæpius reiterata, affatim apparet.

§. 7. Quia tamen juramentum *in cit. l. ult. C. ad L. Jul. Repet.* æque ac *Novell. 8.* criminis repetundarum vitandi mentionem facit, ideò de eo quoque brevissimis notandum erit: *Repetundarum* vocari à repetendo, quòd judicio hoc repetundarum socii populi Romani pecunias sibi ereptas repetierint, id quod *Cicero in Divin.* sequentibus comprobat verbis: *Quasi verò dubium sit, quin tota lex de pecuniis repetundis sociorum causa constituta sit. Nam Civibus cum sint ereptæ pecuniæ, civili fere actione & privato jure repetuntur.* Fuit autem Lex Julia de hoc delicto imprimis magistratuum provincialium gratia lata; nec tamen propterea excluduntur urbani, cum *Venulej. in l. 6. §. 2. ff. ad L. Jul. Repet.* testetur, *Lege Julia* cautum esse, ut magistratus ab omni sorde abstineant. Sic ergo generaliter eo teneri cœperunt, quicunque in magistratu, potestate, curatione, legatione, vel quo alio officio, munere, ministeriove publico constituti, aliquid acceperunt, quo magis aut minus officium facerent. *l. 1. l. 3. & seqq. ff. ad L. Jul. Repet.* Est enim crimen repetundarum scil. pecuniarum, vel de pecuniis repetundis, quando in officio quis sordide quid accipit, ut aliquid decernat, vel magis aut minus officio suo satisfaciat. Lata est hæc lex *Jul. de Repetundis* non tam ab *Augusto*, quàm potius à *Jul. Cæsare*, à quo nomen Legis Juliæ accepit, uti apparet *ex rubr. d. L. Jul. Repetund.* testatur quoque id *Cicero in Orat. pro Sext. jung. Gothofred. in not. ad Tit. ff. de L. Jul. Repetund.* Quanquam & ante eam de hoc crimine varias leges, & quidem *Calphurniam, Aciliam, Serviliam, Liviam, Porciam, Juniam & Cæciliam* promulgatas fuisse, ex *Cicerone* aliisque liqueat, de quibus post *Sigon.* videri possunt *Colleg. Argent. ad L. Jul. Repetund. th. 1. Theodor. in Colleg. Crim. cap. 9. aph. 1. n. 1, atq; Rosin. Antiquitat. Rom. lib. 8. cap. 30.* Judex porro ac Ma-

giſtratus, qui hoc crimen committit, ac pecunia corruptus iniquam profert ſententiam, *Barattariam* committere dicitur, eo, quod juſtitiam, quæ eſt anima civitatis, barattet, ſive permutet. *Farinac. Prax. Crim. qu. 111. n. 1. ibiq; plures.* Unde quoque *Barattaria* pro crimine repetundarum accipitur, ut teſtatur *Dn. Lyncker. de Baratt. c.1. §.1.* Eſt vero vocabulum barattare, teſte *Tiber. Decian. in tr. Crim. lib.8. cap.33. n.9.* vocabulum barbarum, quod idem ſignificat ac commutare, ſive permutare, non à variare, uti quidem nonnulli volunt, ſed à pariare, ſive paria facere. Ut enim res permutentur, quantum fieri poteſt, æquari ac pariari debent. Vid. *Octav. Ferrar. in Orig. lingu. Ital. verb. Barattare.* Quoniam verò in permutandis mercibus fraudes ſubinde committuntur, ideo barattare vel barare pro decipere poſtea ſumi cœpit, tandemque pro venditione judiciorum, juſtitiæ & honorum. *Ferrar. cit. loc.* Hoc reſpectu *Barattaria* idem eſt ac *deceptio* & *dolus*, & Barattiere deceptor vel depoſtor. *Speidel. in Spec. hoc verb.* Barattariam itaque dicitur committere judex, quando juſtitiam cum pecunia commutat, maxime ſi accipiat pecuniam, ut aliter judicet, quam oportet. *l. 3. ff. ad L. Jul. Repet. Dn. Lyncker. cit. loc.*

§. 8. His præmiſſis, quoad noſtram *l. ult. C. ad L. Jul. Repet.* breviſſimis notandum erit, ejusdem conditores & autores, prout ex antecedentibus liquet, eſſe *Theodoſium* atque *Valentinianum*, Imperatores. Eſt vero hic *Theodoſius junior*, qui *Valentinianum*, *Johanne Tyranno* cæſo, in conſortem Imperii recepit, propterea que A. C. 425. iter in Italiam meditatus eſt, ut *Valentinianum* Auguſtum declararet, Italosque in obſequio confirmaret, ſed Theſſalonicam profectus, morbo, ne longius progrederetur, impeditus Conſtantinopolim redire coactus eſt. *Valentinianus* verò, recepta ab Helione, Magiſtro officiorum & Patritio, urbe Româ, Ravennam primo, mox Romam ipſe ingreſſus eſt, ubi Auguſtus creatus & Imperatoria veſte à prædicto Helione indutus fuit *10. Kal. Nov. A. C. 425.* cujus rei plures teſtes adducit *Jacob. Gotbofr. in Chronol. Cod. Theod. ad d. annum Domini 425.* Sic itaque *Honorio* Occidentis Imperatore, anno Domini 423. mortuo, *Theodoſius* ſolus rerum potitus eſt, mox tamen *Valentinianum* conſortem Imperii recepit, hacque ratione noſtra *l. ult.* utriusque Imperatoris nomen præfert, quæ tamen, ſi res geſtas horum Imperatorum intueamur, non tam *Valentiniano* Imperatori, quam ſoli *Theodoſio* adſcribenda eſt, idque probat

quo-

quoque rubrica; ſiquidem *Florentius*, ad quem data eſt, *Præfectus Prætorio Orientis* fuit, quod comprobat *Nov. 1. de Theod. Cod. autor.* quæ æque ac aliæ Theodoſii Novellæ *Florentio* inſcriptæ reperiuntur. Prodiit autem hæc noſtra *L. ult. Conſtantinopoli Anno Dni 439.* proximo ſcil. anno poſt confirmatum Codicem Theodoſ. quibus duobus annis *Florentius* fuit Præfectus Prætorio Orientis, ut teſtatur *Jacob. Gothofred. in Chronol. Cod. Theod. ſub fin.* Quòd verò *Valentiniani* nomen inſimul huic conſtitutioni præpoſitum legamus, id ex obſervantia Imperatorum æſtimandum. Moris quippe olim erat, ut cum plures eodem tempore, diviſis quamlibet imperii partibus, imperarent, atque adeo, etſi ab uno tantum Imperatore revera ſcripta lex eſſet, ex æquo tamen omnium nomina præferret; quomodo etiam in operibus publicis omnium Imperatorum nomina inſcripta reperiuntur, etſi opus ab uno tantum poſitum eſſet. Cuinam tamen in ſpecie lex tribuenda ſit, cognoſci debet ex *Magiſtratu*, ad quem lex dirigitur, ex *provinciâ*, *diœceſi vel civitate*, cujus in lege fit mentio, & denique etiam ex *loci* ſubſcriptione, ubi lex data, accepta, vel propoſita fuit, quod nudæ curioſitatis neutiquam eſt, verùm etiam ſingularem uſum præſtat, ut docet *Jacob. Gothofred. in Prolegom. Cod. Theodoſ. cap. 8.*

§. 9. In ipſo contextu Imperator conſtituit, ut ad provincias regendas non admittantur illi, qui ambitione & pretio ad eas adſpirant, ſed qui probatæ vitæ teſtimonio promoventur, juxta *Jethronis conſilium* Moſi datum de conſtituendis judicibus *Exod. cap. 18. verſ. 21.* qui non quemlibet ex promiſcuâ hominum fece ad judicandi munus vult evehi, ſed viros timentes Deum, ſapientes, & qui oderint avaritiam. Hi tamen, ſive ab Imperatore ipſo fuerint electi, ſive à Præfecto Prætorio conſtituti, inter geſta jurati depromere, i. e. juramento judicialiter præſtito afferere coguntur, ſe pro adminiſtrationibus ſortiendis nihil dediſſe, neque daturos unquam eſſe, ſive per ſe, ſive per interpoſitam perſonam, in fraudem legis ſacramentique, aut venditionis, donationis alteriusve contractus titulo, vel velamento: Cui capitulo aliud annectitur, quod ſcil. exceptis *ſolatiis* ſive ſalariis, nihil accipere velint, etiam poſt depoſitum officium. Tandem ſubjicitur fulmen publicæ accuſationis contra dantem & accipientem, adjunctâ quadrupli pœnâ ei irroganda, qui delicti convictus fuerit. Licet enim neminem Divini timoris contemnendo jusjurandum immemorem arbi-

trentur Impp. ut saluti propriæ ullum commodum anteponat, tamen ad hunc salutis metum etiam necessitatem periculi adjungere voluerunt. Unde patet, hujus Constitutionis *tres* esse partes, in *quarum prima* continetur, quinam ad provincias regendas atque honoris insignia accedere debent, in *altera* parte, quale juramentum ab ipsis exigatur, in *tertiâ* denique parte subjicitur pœna eorum, qui contra hoc juramentum delinquunt. Vid. *ad b. l. Salicet. atq; Bald.*

§. 10. Constitutionis hujus tenorem, prout jam antea innuimus, repetiit *Imper. Justinianus in cit. Nov. 8.* inque ea inter alia constituit, quod Præses futurus, cujus verbi appellatione generali omnes continentur, qui Præsidum funguntur vice, vel coram Principe, ejusque delegato, vel coram Episcopo & Primatibus provinciæ, conceptis verbis jusjurandum præstare debeat, se nihil cuiquam vel muneris vel patrocinii nomine dedisse, aut promisisse, gratuitum quoque Magistratum puris manibus administraturum, & contentum fore annonis ex publico sibi constitutis, qui insignis est locus, prohibens, ne magistratus sint venales, neve suffragia dentur, aut promittantur, id est pecuniæ honores adipiscendi causa, ut rite hoc explicat *Cujac. ad init. d. Nov. 8.* Adducit quoque Imperator sacrarum literarum testimonia, de avaritia omnium malorum matre, atq; ita etiam incommodorum, quæ secum trahit magistratuum venalitas. Hac verò constitutione nihil præstantius in hoc genere promulgari potuisse, quivis fatebitur, omninoq; beatæ essent Respublicæ, si ad ipsius præscriptum gubernatores eam administrarent. Hinc non solum Imperator ipse eam tanti æstimavit, ut in templis inter sacra vasa, tanquam *donarium* sive anathema quoddam, asservari voluerit; Sed & verissime prædicat *Henricus Agylæus*, dignam esse, quæ grandiusculis literis, & quidem aureis exaretur, eoque affigatur in loco, ubi in conspectu principum virorum semper esse queat· dignamq; esse, ut principes viri eam à primâ ætate manibus apprehendant, & nunquam, quamdiu in vivis sunt, de manibus deponant, sed perpetuo meditentur: quam deniq; solam ex omni Philosophia assumant in exemplum gubernationis.

§. 11. Cæteroquin plures partes officii Præsidum sive quorumlibet Magistratuum, qui rempublicam administrant, ordine proponit Imperator Justinianus, quæ ad certa capita memoriæ ergò retulit *Rittershus. ad Nov. p. 2. c. 1. n. 13. & seq.* in quas conceptis verbis

verbis solenniter jurare jubentur *sub fin. dict. Nov. in tit. Jusjurandum*, omnes illi, qui administrationes suscipiunt. Formula ipsius horrenda fere est, per *sanctam* quoque & *gloriosam Dei genetricem, per quatuor Evangelia, & per sanctos Archangelos, Michaelem & Gabrielem*, præstanda, unde deducit *Dn. Strauch. Diss. ad Jus Justin. 25. aph. 24.* juramentum non solum nominato Deo, sed & aliis rebus præstari posse, exempla tum Veteris, tum novi Testamenti docere, quam ob causam ad *Grot. d. J. B. & P. lib. 2. cap. 13.* provocat, & *Apost. ad Hebr. c. 6. vers. 13.* testimonii causa adducit, tandemq; addit: Ecclesiam seculi sexti non improbasse formulam jurisjurandi, quæ habetur *in d. Nov. 8. tit. ult.* publice quantumvis receptam & omnibus notissimam. Sed enim verò, quamvis ad juramenti essentiam in genere non necessaria sit *expressa Dei nominatio*, quod nemo unquam negavit, ad minimum tamen *implicita* accedere debet. Nullum enim est juramentum, in quo Deus non invocatur ut testis & vindex, sive explicite, sive implicite. Vid. *Pufendorff. de Jure Nat. & Gent. lib. 4. c. 2. §. 3. atq; Dn. Lauterbach. in tract. Synop. de Jurament. th. 21.* inque dicto juramento *Nov. 8.* expressa invocatio Dei & Sacro Sanctæ Trinitatis habetur, licet, postquam cultus Angelorum & Sanctorum in Ecclesia Romana receptus fuit, & per eos juramenta præstari cœperint, quæ ratio est, quod non solum beatæ Virginis, sed etiam Archangelorum in formula hujus juramenti fit facta mentio. Vid. *Dn. Thomas. ad Strauch. cit. loc. atq; Struv. ad tit. ff. de jurejur. th. 8.*

§. 12. Ex his omnibus jam *existentia* hujus Juramenti, & quod id ipsum Leges nostræ disertis verbis approbent, sat abunde apparet. Vocatur autem *juramentum Ambitus* non committendi, sed potius vitandi, hocque respectu etiam *Repetundarum* sc. pecuniarum, Germanice à quibusdam der Practicier-Eyd / sumto verbo *Praxeos* in sensu prohibito & illicito, quod quis contestari debeat, se non per praxin illicitam, ambitum & nundinationem officiorum, ad honores atque functiones adspirasse. Quid verò juramenti vocabulo alioquin intelligatur, notius est, quam ut ulteriori indigeat evolutione, sc. quod sit *actus religiosus*, quo quis in alicujus enunciationis majorem fidem *Deum* invocat, tanquam *ultorem & vindicem*. Juramentum enim eum in finem interponitur, ut enunciationi major fides concilietur, alter securior reddatur, atque jurans ad asserti veritatem & promissi præstationem eo magis adstrin-

ſtringatur, idque ſub periculo amittendæ gratiæ divinæ. Quare ille ſolus ad minimum implicite eſt invocandus, qui eſt omniſcius & omnipotens, ita quidem, ut invocetur tanquam vindex & ultor mendacii & perfidiæ, ſi jurans falſum aſſeveraverit, aut promiſſum non impleverit, prout *ex Thumm. aliisq;* ſolide deduxit *Lauterbach. in tract. Synop. de Juram. th. 1. 20. & ſeq.* Ex quibus jam ſequens hujus Juramenti formari poteſt definitio, quod *Juramentum hoc Ambitus & Repetundarum ſit actus religioſus, quo is, qui ad functionem publicam aſſumitur, in hujus enunciationis majorem fidem, quod pro officio acquirendo neq; per ſe neq; per alium quicquam dederit, nec etiam in functione, præter ſalarium & conſuetas ſportulas, aliquid accipere velit, invocat Deum, tanquam ultorem & vindicem, ſi fallat.* Vel: *quod ſit religioſa aſſeveratio, quod pro officio acquirendo quis nihil per ſe, vel per alios dederit, vel promiſerit, nec etiam in officio præter ſalarium ejusq; accidentia permiſſa quicquam accipere velit, facta per invocationem Dei in teſtem.* De quâ definitione ex *Capite* ſubſequenti *tertio* ulterius conſtabit. Sequitur nunc, Ordine ſic ſuadente,

CAPUT II.

Juſtitiam Juramenti Ambitus evolvens.

SUMMARIA.

§ 1. In disquiſitione circa Juſtitiam hujus Juramenti proponuntur rationes eorum, qui venditionem officiorum ſecularium innoxiam eſſe dicunt. §. 2. Ephrematibus tamen & cautelis certis hanc venditionem temperant, quæ recenſentur. §. 3. Sed moraliter hæc venditio nec Juſtitiæ convenit, nec etiam expedit. §. 4. Nec porro declarationes additæ venditionem iſtam licitam faciunt. §. 5. Venditione officiorum improbata, multo magis Ambitus improbandus erit, quia invitis potius quam ambientibus respubl. concredenda. §. 6. Maxime verò in beneficiis Eccleſiaſticis hoc crimen, quod Simonia vocatur, vitandum, ubi: juxta nonnullos venditione officiorum ſecularium Simoniam quoque perpetrari. §. 7. Obſtat quidem Juramento Ambitus inter cætera hoc, quod absque juramento iſto ſeverioribus remediis Ambitus coerceri, & hoc modo perjurium evitari poſſit. §. 8. Sed reſpondetur hiſce dubiis, ac demonſtratur, inter remedia contra corruptiones Officialium hoc Juramentum principem obtinere locum, maxime ſi & de Barattaria conceptum reperiatur. §. 9. Hæc enim Jure Divino ſpeciatim reprobata eſt.

§. 1.

FUndata *Exiſtentia* hujus juramenti, ut jam ejusdem *Juſtitiam* paulo penitius intueamur, Ordinis ratio ſuadere videtur, cum non

non solum varii Politici & JCti, sed etiam haud pauci Casistæ, quos *Don Garf. Mastrill de Magistrat. lib. 1. c. 20* allegat, interque eos *Thomas de Vio, Cardinalis Cajetanus, in Summ. verb. Officiorum secularium venalitas*, *speculative* loquendo, venditionem functionum secularium innoxiam esse censeant, propter varia, quæ in talibus officiis considerari possunt: vel ratione eminentiæ supra cæteras res, quæ pretio æstimabiles sunt: vel ratione excessus justi stipendii; Stipendia enim officiorum, maxime præcipuorum, auctiora esse solent, quam præcise ex Justitia deberentur, quod ad splendorem Principum & dignitatum amplitudinem pertinere dicunt, ut vel ratione illius excessus in stipendio vendi queant: vel ratione tituli, qui in hanc nundinationem deducitur: vel denique ratione opportunitatum licitarum augendi rem domesticam suosque promovendi, & exteros quoque permultos sibi honeste obstringendi. Hæc omnia, rem per se spectando, officia secularia negotiationi subjicere posse & solere dicunt, si publica id requirat necessitas. Hancque sententiam probat quoque *Joh. Azor. Instit. Moral. p. 2. lib. 11. cap. 7.* qui officia in bonis & patrimonio Regum atq; Superiorum contineri docet, ut proinde ea jure vendere possint, licet non expediat. Et sane *Mysler. ab Ehrenbach in Hyparchol. cap. 7. §. 23. n. 44.* pro hac officiorum nundinatione, ex hypothesi horum Doctorum, multa adducit argumenta, præcipue quod Rex, aut alius, jura Superioritatis habens, nec Jure Divino, nec Naturali vel Gentium prohibeatur officia temporalia juxta bene placitum, secundum utilitatem Reipublicæ, distribuere, test. *Bart. Bald. alisq; Dd. ad l. 3. ff. de Offic. Prætor.* cum Jure naturæ sit dominus officiorum in regno aut territorio suo ex mente *Thom.* adeoque, vi supremæ jurisdictionis, quoad provincias suas fundatam habeat intentionem in creandis Officialibus, ac, juxta suam voluntatem & utilitatem Reipublicæ, distribuendis muneribus publicis, quorum dominium aut proprietas ipsius, non alterius est, *arg. cap. un. 2. F. 56.*

§. 2. Quia tamen hæc Officiorum nundinatio Principis auctoritati quam maxime adversari videtur; Idcirco eandem quibusdam ephrematibus atque cautelis temperare solent. Et quidem *primo* requirunt, ut vendens officia habeat vendendi potestatem, quæ vel apud Principem, vel etiam apud Rempublicam pro diversitate Status est, quoniam officia publica sunt bona reipublicæ, ut pro-

proinde eorum diſtributio ſit ſupremi Principis, aut Domini territorialis, vel etiam Reipublicæ : *ſecundo*, ut Superior, quantum fieri poteſt, officium publicum digniori vendat, alias enim ſi vendiderit inepto, contractus reſcindi, & Princeps officium retinere, pretium verò acceptum reſtituere debet : *tertiò*, ut hæc venditio fiat pretio moderato, ne ſuppeditetur anſa emtori, ut multa inique in reſtitutionem pretii ſoluti extorqueat : *quarto* denique, ut hæc officiorum venditio fiat ex magna neceſſitate, cui alia commodiori via ſubveniri haud poteſt. Ita publica Reipubl. calamitas Venetos, quorum Statum publicum Ludovicus XII. bellis graviſſimis premere cœpit, adegit, ut ad conquirendas pecunias varia officia & munera venalia præſcriberent, qui modus magnam pecuniæ quantitatem Reipubl. intulit, teſte *Bodin. de Republ. lib. 6. c. 2.* Galliæ quoque Regum venditiones officiorum tam judicialium quam quæſtuariorum colore ſummæ neceſſitatis defendere conantur nonnulli Scriptores. Sed enim verò horum proventuum dulcedine inductus *Franciſcus I. Rex Galliæ*, venditionem officiorum publice, absque ulla neceſſitatis reſtrictione, ordinariis reditibus recenſuit, ſicque publice venum expoſuit, atque unicuiq; plus offerenti concredidit, juxta exemplum *Auguſti*, qui teſte *Sueton. in ejusd. vita cap. 37.* ut plures adminiſtrandæ Reipublicæ partem caperent, nova excogitavit officia.

§. 3. Verum, quicquid etiam declarationis gratia proponant, *Joh. del Caſtillo* tamen hanc controverſiam ita decidit, *ſpeculative* quidem loquendo licitum eſſe officia & munera temporalia vendere, & hoc ex ipſorum naturâ, cum ſint in bonis Regum & Superiorum : *Moraliter* autem loquendo, & venditiones horum officiorum *ad juſtitiam & uſum practicum* reducendo, non expedire nec convenire Superioribus, ut officia publica vendantur, cum ſint diſtribuenda dignioribus, non turgentibus pecunia, nec conceſſum ſit Principi, ut officia vendat, ſed ut dignioribus conferat, vel ut inter æque dignos diſtribuat. Quapropter etiam *Valaſc. de Judic. perfect. rubr. 1. annot. 3. §. 3. n. 12. & ſeq.* venditionem munerum de Jure Divino, Naturali & poſitivo prohibitam eſſe dicit, quæ jura Principem quoq; abſolutum in conſcientia ligare cenſet, ut illis contraveniens non juſte agat. *Add. Jo. de Juſt. lib. 1. q. 6. art. 7. Barboſ. ad c. 1. de Conſt. n. 6. Bœckelndorff ad Seraphin. de Privil. Juram. privil. 146. n. 3.* Siquidem honoris augmentum non ambitione

ſed

ſed labore ad unumquemque convenit devenire, per *l. 14. C. de re milit.* atque huic munerum venditioni refragatur ipſum Regis officium, cui Reipublicæ ſubditorumq; commodum quærere ante omnia incumbit: cedit præterea in Imperantis maximum dedecus: eſt Reipublicæ deterrima peſtis, ac ſubditorum graviſſima afflictio, contra *Nov. 86. cap. 3.* Inſuper probroſa eſt, nam qui pecuniâ ad honores & adminiſtrationem Reipublicæ perveniunt, illi plus privatæ quam publicæ rei conſulunt. *Richter in Polit. Axiom. 28.* Quapropter omnes ferè divinarum & humanarum legum Profeſſores officiorum nundinationes improbant, & ipſorum venditores execrantur. Sic *Paris de Puteo* avaritiam, malorum omnium radicem, animabus judicum inhærere dicit, ſi officia juſtitiæ vendantur, *de Syndic. tit. de offic. Syndic. verſ. Dicitur n. 1.* atque cordatiores quivis deteſtantur Galliæ mores depravatos, quod perpauci, imo fere nulli in hoc Regno inveniantur miniſtri, qui officia, etiam jurisdictionis adminiſtrationem habentia, præſenti pecunia non fuerint mercati, ſicut & ipſe *Bodin.* hanc nundinationem increpat *lib. 6. Polit. c. 2.*

§. 4. Neque nundinationem hanc licitam faciunt declarationes in antecedentibus propoſitæ. Nam Judices & Magiſtratus inter cives conſtituti non hominis, ſed Dei exercent judicium, ut recte eos admoneat *Joſaphat: Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite, non eſt enim apud Deum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum, Lib. 2. Paralip. 19. verſ. 7.* qui textus quidem de ipſa muneris executione accipiendus eſt, applicari tamen non minus poteſt ad primam officii ſuſceptionem, quod & hæc vacua eſſe debeat ab omni iniquitate, & commercio ementis & vendentis. Nec enim in timore Domini verſari aut ſanctum & intemeratum judicium retinere poteſt, qui emta nititur dignitate, & officii initium turpiſſima polluit δωροδοκίᾳ. Turpe præterea eſt civitati & Reipublicæ, ſi patiatur circa dignitates, eas imprimis, quæ ſanctitate præ cæteris eminere debent, fœda exercere commercia, quia Magiſtratus & officia publica virtutum, non opum & divitiarum præmia eſſe debent. Excipiunt quidem diſſentientes caſum extremæ neceſſitatis, inque eo, modico interveniente pretio, venditionem hanc permittunt, inculpabile enim judicatur, quod neceſſitas intulit, per *can. 7. cauſ. 30. qu. 1. & cap. 4. X. de R. J.* Sic etiam bona alias alienari prohibita in caſu neceſſita-

tis alienari possunt, *l. 21. C. de SS. Eccles. Nov. 120. cap. 10.* quia necessitas secum trahit dispensationem. Verum necessitas ista minuit quidem non tamen statim tollit reatum & delictum, maxime si vendantur in casu necessitatis officia, quæ circa juris & justitiæ administrationem versantur. Equidem officia ipsa non sunt uniusmodi, atque quædam ita sunt comparata, ut facilius præcipue tempore necessitatis commercium recipiant: Quædam tamen id omni tempore respuunt, quæ scil. justitiæ administrationem adjunctam habent. Justitia enim ab omni φιλαργυρία procul abesse debet, & hinc etiam officium, quod de illa administranda institutum est. Plura huc facientia vid. apud *Myler. ab Ehrenbach cit. c. 7. §. 44. & mult seq. & Da. Ziegler. de Off. Jud. concl. 7. §. 5. & seq.*

§. 5. Quod si jam hæc venditio officiorum publica bonis moribus & legibus contraria est, ut præter dicta quoq; cum allegatis DD. asserit *Tabor. de Suffrag. peric. 4. §. 28.* multo magis improbandus erit Ambitus, per quem corrumpuntur suffragia illorum, quibus a Principe vel Republica data est potestas eligendi Officiales. Nam ea quoque, quæ quoad Ambitum, apud Romanos permissum, populo seculo tali, quo in adulationes & assentationes propendebat, conveniebant, viro honore digno haud congrua sunt, sed pravissima potius reputantur, ut loquitur *Cicero in Orat. pro Muren.* adeoque multo minus Christianum hominem decent. Peccat igitur, qui Romanorum exemplo ambit & cursitat, qui illecebris, obsequio, assidua compellatione, aut iteratis precibus Patronorum & Collatorum favorem aucupatur, qui suffragia emendicat, quique nihil omnino omittit, quod ad gratiam sibi comparandam & viam ad futuram spartam sternendam quovis modo facere aut conducere videtur. Virtute ambire oportet, inquit *Plaut.* non favitoribus. Sat habet favitorum, qui recte facit. Ipse quoque, cui ita confertur officium, quam maxime suspectus redditur, quod non videatur bona intentione munus petere. Hincq; locum *regiminis desiderantibus negandum, fugientibus verò offerendum* esse dicit *Gratian. in c. in scripturis. 9. caus. 8. q. 1.* Expedit siquidem Reipublicæ invitis magis quam ambientibus gubernacula concredere, & invitos non ambientes in Republica collocandos esse, dixit *Alexander Severus Imperator.* Vid. *Philipp. Knipschild. de Jur. Civit. Imper. lib. 2. c. 8. n. 114. & seq.*

§. 6. Quæ

§. 6. Quæ vero de venditione functionum Civilium jam dicta sunt, multo magis ad *Sacerdotia* & *beneficia Ecclesiastica* extendi debent. Horum namque commercio, si scil. pecuniis datis comparentur, non ambitum in genere, sed speciale crimen *Simoniæ* committi dicunt Canonistæ, quod à Simone Mago, Spiritum Sanctum pretio mercari volente *Act. 8. vers. 18.* nomen accepit, eamq; in tantum reprobant Canones, ut *mentalem* quoque rejiciant Simoniam, quæ continet solum pactum implicite subintellectum, ac proposito committendi Simoniam peragitur, nec non eam, quæ continet *munus à linguâ & obsequio, juxta c. n. 114. caus. 1. q. 1.* per quod preces, laudes, commendationes apud Superiorem, nec non servitia & obsequia, sub obligatione beneficia Ecclesiastica conferendi, præstanda intelliguntur, de quibus ut & objecto Simoniæ, re scil. spirituali, ac spirituali annexa, turgent ferme Moralistarum ac Canonistarum libri, dum Simoniæ labem in tantum extendunt, ut eam quoq; per emtionem & venditionem civilium officiorum committi credant, propterea, quod judex civilis non hominum, sed Dei dicatur judicium exercere. *2. Paralip. 19. vers. 6. Petr. Gregor. Tholos. lib. 36. Synt. c. 29. n. 15.* Sed de his aliisque ad materiam Simoniæ spectantibus vid. *Azpilc. Navarr. in Man. Guillelm. Redoan. in tract. de Simon. Petr. Suav. in Histor. Concil. Trident. lib. 5. atq; Ziegler. de Jur. Majest. lib. 1. c. 41. §. 53.* ubi declarationibus adhibitis & dispensandi potestate Pontifici concessa Canonistas emplastrum πάγχρηστον invenisse dicit, quo vulnus Simoniæ lenire & sanare queant. Sed de his alibi. Merito proinde *Juramentum Ambitus* introductum esse videmus.

§. 7. Voluit equidem non nemo haud ita pridem asserere, populi salutem non ab hujus Ambitus juramenti fulturâ, sed potius inde dependere, ut suam libertatem contra exterorum potentiam tueatur, & prospiciat, ne publica Reipubl. bona & reditus in privatum vertantur commodum, hocq; imperium maxime populare principaliter intendere; Statutum verò Ambitus circa civitatem se tantummodo habere, ut accidens, quod notorie abesse, & sine hoc, cæteris paribus, Rempublicam feliciter administrari posse, præsertim cum seculo hoc depravato juramentum Ambitus pluribus exiguæ sit curæ, ac teste *Gail. lib. 1 observ. 85. num. 4.* multi ne obolo quidem id æstiment, modo intentionis suæ metam obtineant. Quare contingere, ut, eo non obstante, officia publica quovis modo appetant, illaque dignioribus præripiant, vel maxime

 propter-

propterea, quod hoc juramentum post officium jam collatum solum præstare cogantur, quo casu militare videtur præsumtio, quod nullus malum commissum sponte, vel mediante adseveratione religiosa, detecturus sit. Etsi ergo hoc juramentum abrogetur, nihilominus tamen civibus integrum esse censet, eligere ad senatoriam vel aliam dignitatem quemcunque velint, surrogata in hujus juramenti locum pœna arbitraria atrociori, aut pecuniaria graviori, una cum existimationis dispendio & muneris ademtione in eos, qui Ambitum commiserint: quibus, tanquam magis sensibilibus, remediis, modo adversus reos, hujus criminis confessos atque convictos, absque ulla remissione & respectu personarum, executioni mandentur, hoc delictum eo facilius supprimi, & frequentiora evitari posse credit perjuria, de quibus ultro citroque publice privatimque variæ subinde ducuntur querelæ, quibusque Deus, ob nominis sui sanctissimi temerariam profanationem, ad varias Rebuspublicis injiciendas plagas excitatur.

§. 8. Verum hæc ipsa, quod intendunt, neutiquam evincunt. Equidem necessarium est, ut Respublica suam libertatem contra exteros tueatur, & prospiciat, ne reditus publici in commodum vertantur privatum, eo ipso tamen non excluditur alia subordinata Reipublicæ cura, circa quam versatur hoc juramentum Ambitus, atque, quantum fieri potest, impedit, ne quis illicito modo ad functiones publicas adspiret. Licet ergò vel maxime in quibusdam Rebuspublicis usus hujus juramenti sit incognitus, res ipsa tamen, ne quis suffragiis corruptis, aliisque artibus illicitis, munera publica ambiat, prohibita est, vel etiam prohibita esse debet. Nec porro id, quod unus & alter contra hoc juramentum peccet, ejus abrogationem statim inducere potest, alioquin tota juramentorum materia, cujus abusus infinitis fere perjuriis dat ansam & occasionem, abroganda esset. Et quamvis hoc juramentum post collatum demum officium præstetur; attamen de facto præterito concipitur, quod licito quis modo dignitates petierit, omnesq; officium publicum ambientes ad honestatis terminos adstringit: sive naturalem appetentiæ stimulum, quem quivis in honoribus adipiscendis subinde fovet, ad honestatis terminos redigit, tandemque efficit, ut promovendi æque ac promotores ab omni illicito studio in functionum collatione abstineant. Licet ergo largiamur & concedamus, quod hoc juramentum non solum, ubi receptum

est,

eft, abrogari, fed & nondum receptum à Superiore negligi queat, modo ambitus illicitus alioquin coërceatur, atque ita puniatur, ut peffimum hoc malum è Republica excludatur; Nihilominus tamen haud diffitendum erit, quod inter remedia, contra corruptiones Officialium recepta, quam maxime emineat, ac principem obtineat locum. Et quia cum Jure Juftinianeo ad felicitatem Reipublicæ receptum reperitur, haud facile immutandum aut negligendum eft, præcipue fi ita conceptum reperiatur, prout i. *l. noftra fin C. ad L. Jul. Repet.* reperitur, ut Barattariæ quoque & munerum acceptioni obicem ponat, quæ non folùm LL. pofitivis, fed & Divinis, nec non rationi Naturali & honeftati repugnat.

§. 9. Non tantum enim invectivæ, quæ paffim in *Jure Divino* inveniuntur, fed etiam feveræ comminationes adjunctæ ad oculum demonftrant, quam adverfa fint *Legi divinæ* munera judicibus data. Sic enim legitur apud *Efaiam c. 1. v. 23. Principes tui infideles: focii furum: omnes diligunt munera &c.* atque apud eundem *c. 5. verf. 23. qui juftificatis impium pro muneribus & juftitiam jufti aufertis ab eo.* Quare *Deut. 27. verf. 25. maledictus vocatur, qui accipit munera, ut percutiat animam fanguinis innocentis.* Quamvis verò reprehenfiones iftæ propheticæ eos concernant judices, qui per fordes aut gratiam male judicant, & innocentem condemnant, ut fecus effe videatur, quando juftitia non læditur, fed unicuiq; fuum tribuitur & jufta pronunciatur fententia, quod vel ipfa maledictio divina *cit. loc.* fat aperte innuere videtur, quippe quæ contra eum concepta eft, qui propter munera innocentem condemnat ac opprimit, nec non David, qui *Pfal. 15. verf. 5.* eum beatum prædicat, qui *munera fuper vel contra innocentem non accipit.* Non tamen inde concludi poteft, haud peccare judicem, qui munera accipit, etfi male forfitan non judicet. Eft namq; potiffimus & fere perpetuus effectus, aut pedifequa munerum, quod judex corrumpatur, ut in ejus partes inclinet, à quo munera accepit. Generaliter quoque Deus *Exod. 23. verf. 8. & Deut. 16. verf. 19.* prohibuit, ne quis accipiat perfonam aut munera, addita ratione, quia munera excæcant oculos fapientum, & mutant verba juftorum. Solum ergo fufficit periculum & metus futuri mali, ne quis per acceptionem munerum in diverfum rapiatur fenfum, & ab eo, quod juftum eft, declinet, cum fieri vix poffit, ut incorruptus maneat, cujus oculis munera obverfantur. Turpiter ergo agit judex, fi venalem fe

pro-

proſtituat, atque juſtitiam faciat mercenariam, quia teſte *Cajetan. ad Exod. 23. verſ. 8.* munera affectum mutant, atque efficiunt, ut, ſi non ſpeculativè, ſaltem practicè videatur accipienti vel fovenda vel excuſanda pars, à qua munera accepit. Et hæc de juſtitia hujus Juramenti. Progredimur nunc ad

CAPUT III.

Juramentum Ambitus ejusque partes per cauſas ſuas reſolvens.

SUMMARIA.

§. 1. Hactenus dicta monſtrant Originem hujus Juramenti fluere ex Jure Divino, tum quoad Barattariæ, tum quoad Ambitus crimen vitandum, cujus rei gratia adhuc adducitur ex *Syracide c. 7. verſ. 6.* §. 2. Juris poſitivi diſpoſitio pertinet ad ejus determinationem, ubi additur, quomodo conveniat Juri Canonico, & quod Conſuetudine probatum ſit, quamvis non ubivis locorum exigatur de crimine Ambitus vitando, ſed de ſolo Repetundarum. §. 3. Subjectum hujus Juramenti, & quibus illud incumbit, ſunt per verba *d. l. ult.* Rectores Provinciarum, & per extenſionem omnes *Magiſtratus.* §. 4. Per hoc Juramentum coërcentur offerentes, non recipientes, qui tamen etiam Ambitum committunt; Tabor quidem cum aliis circa recipientes diſtinguit, generaliter tamen eos pœnæ *L. Jul. d. Ambitu* obnoxios fieri, aſſerit *Myler.* §. 5. Objectum hujus juramenti ſunt adminiſtrationes & crimina circa ea vitanda. Adminiſtrationum nomine intelliguntur officia, tum ſecularia, tum eccleſiaſtica, ubi quod circa poſteriora crimen Ambitus fere in Eccleſiis Romanis in deſuetudinem abierit, inſimulque uſus Proteſtantium adjicitur. §. 6. Crimina ſunt Ambitus & Barattariæ, ſibi quaſi ſubordinata, ubi quod extra ſalaria Judici non ſit permiſſum munera accipere. §. 7. Excipit *Ulpian. in l. 6. §. 3. de Off. Procenſ.* Xenia, à quibus tamen rectius quoque abſtineat Judex, utut annonas & ſportulas conſtitutas licite petere & acceptare poſſit. §. 8. Forma hujus juramenti, ubi additur, quod ſimul ſit promiſſorium & purgatorium. §. 9. Effectus hujus Juramenti recenſetur. §. 10. Ad eum quoque pertinet pœna propter Ambitum & Barattariam imponenda, quam ſubinde aggravat perjurium concurrens, ubi quæritur: An durante lite quis ab adminiſtratione poſſit ſuſpendi. §. 11. Inter remedia contra Ambitum & corruptiones Officialium optimum eſt hoc Juramentum, cujus uſus quoad Barattariam vitandam proponitur, §. ult. Quoad Ambitum uſus quidem rarior eſt, non tamen prorſus abrogatus.

§. 1.

HActenus dicta Juſtitiam hujus juramenti noſtri ſufficienter arguunt, inſimulque, quod tum quoad crimen Barattariæ ſive Repetundarum, tum etiam quoad Ambitum vitandum, in *Jure*

æque

æque *Naturali* ac *Divino* fufficienter fundatum fit, abunde comprobant, quodquoad ambitum circa officium judicis adhuc evincit illud *Syracid. cap. 7. verf. 6. Noli quærere fieri Judex, nifi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimefcas faciem potentis & ponas offenfionem in recte itinere duo*, quod Lutherus ita reddidit: Laß dich nicht verlangen Richter zu seyn/ denn durch dein Vermögen wirst du nicht alles Unrecht zu recht bringen/ du möchtest dich entsetzen vor einen Gewaltigen/ und das Recht mit Schanden fallen lassen/ ubi *Syracides* duo effe dicit, quæ judicis officium inaufpicatum reddere, & inordinatum ejus appetitum temperare poffunt: *Rerum gerendarum difficultatem*, & *potentiorum*, cum quibus res eft, *vim atq; autoritatem*, ob quæ non tàm quærendum, quàm potiùs, ubi invito commiffum fuerit, cum pavore id ipfum fufcipiendum effe docet. Multi namq; falfo fibi perfuadent, inquit *Lucas Ofiander ad iftum Syracid. locum*, fi ipfis Reipublicæ adminiftratio committeretur, fe omnia prava correcturos: at longe difficilior eft Reipublicæ gubernatio, quam quisquam credat. Multi etiam bono quidem animo & ftudio promovendæ juftitiæ ad rempublicam accedunt, fed quando vident, potentiores quosdam bonis ipforum conatibus refiftere, & res injuftas moliri, non audent refragari: metuunt enim, ne potentiorum odia incurrant, & fibi periculum creent, ut adeo magnum & heroicum, imo prorfus invictum animum juftitiæ & reipubl. adminiftratio requirat.

§. 2. Quæ vero *Jure pofitivo* de hoc Juramento, atque delictis per illud evitandis, propofita reperiuntur, ad determinationem ejus pertinent, ut honeftatis ac moralis æquitatis terminis fepimentum aliquod addatur, hocque vinculo externo homines, alioquin in Ambitionis & Repetundarum crimen proclives, ab hoc delicti genere arceantur. In *Jure* equidem *Canonico* de eodem difertis verbis nihil difpofitum reperitur, ea tamen, quæ de Simoniâ amplioribus terminis in hoc Jure propofita reperiuntur, illud fatis fuperque comprobant, præcipue cum in dubio nulla inter Jus Civ. & Can. fit ftatuenda differentia, *arg. cap. 1. X. de Nov. op. nunciat.* De Confuetudinis fuffragio etiam haud dubitandum erit, cum alioquin certiffimum fit, quod is, qui lege nititur Juftinianea, etiam in Imperio noftro, tamdiu habeat fundatam intentionem, usque dum adverfarius, confuetudine vel ftatuto contrarium receptum effe, probaverit, prout ex *Ord. Cam. p. 1. tit. 13. pr. Receff. Imp. de an. 1654.*

§. Benedens. *105. Ord. Jud. Imp. Aul. tit. 1.* §. Und weilen *circ. fin.* & *tit. ult. in fin.* aliisq; Imperii Constitutionibus liquet, atque cum *Tabor. de Alter. tant. p. 4. art. ult.* docet *Lauterbach. Conclus. For. Exerc. 1. concl. 1.* Quamvis non diffiteamur, quod Ambitus quidem crimen in Germania nostra (exceptis moribus unius vel alterius loci, quibus nonnullorum officiorum venditio publica, bene an male, ex antea dictis constabit, permissa reperitur) hodienum prohibeatur, hoc tamen *Juramentum quoad Ambitum* à promovendis non semper exigatur aut præstetur, sed solum de crimine Repetundarum vitando, prout ex *fin. hujus Dissertationis* constabit.

§. 3. Subjectum hujus Juramenti, & quibus illud imponitur, sunt quidem juxta verba nostræ *l. ult. C. ad L. Jul. Repet. viri ad provincias regendas accedentes*, sive Rectores Provinciarum, sed per extensionem *omnes* omnino, qui ad magistratum, potestatem, vel aliud officium, munus, ministerium &c. adipiscendum quid præstiterunt, aut in eo constituti quid acceperunt, quo contra officii sui religionem faciant, per *l. 1. pr. l. 3. 4. 5. 6.* & *ult. ff. ad L. Jul. Repetund.* Verba namque, quæ *in d. l. 1. pr. ff. ad L. Jul. Repet.* inveniuntur, generalia sunt, & extendunt verba specialia nostræ *l. ult.* ita, ut eorum nomine intelligi debeant non tantum prætores, præsides, eorumque assessores, quæstores, rationales, cognitores, judicesve pedanei, & municipales magistratus, sed etiam militares, imò & Senatores, qui vel per Ambitum ad dignitates istas adspirant, vel etiam in illis constituti pecuniam aliamve rem accipiunt, quo magis vel minus officio suo satisfaciant, quæ ratio est, quod *Bald. ad d. l. ult. C. ad L. Jul. Repet.* per viros ad provincias regendas accedentes intelligat omnes Officiales à Superioribus in quocunque Statu constitutos, sive is sit Monarchicus, sive Aristocraticus, sive Popularis. Rationes enim, crimen Ambitus & Repetundarum excludentes, generales sunt, pertinentes ad quemcunque Statum, ut adeo hoc juramentum omnes Magistratus obliget, imo etiam Clericos. Tantum enim ab ambitu sepositus esse debet Clericus, ut quæri cogendus, rogatus recedere, invitatus fugere, & sola illi suffragari debeat necessitas excusandi, juxta effatum *Impp. in l. 31. C. de Episcop.* & *Cler.* qui textus confirmatus adeoque canonisatus reperitur *in c. 9. caus. 8. q. 1.* Unde Pontifex *Symmachus* decrevit: Nulli per ambitum ad Prælaturæ Ecclesiasticæ honorem accedere permittatur. Nam cum hic excessus in laicali conversatione culpetur,

petur, quis dubitat, quin religiosis & Deo servientibus injiciat vel incutiat opprobrium, *In c. 114. c. 1. q. 1.* Late per exempla Ambrosii, Gregorii & aliorum hoc deducunt *Azor. tom. 2. Instit. Moral. lib. 3. c. 28. q. 2. & Barbos. de Episcop. Tit. 2. gloss. 1. n. 14. & seq.*

§. 4. Distinguendum tamen hic est, quoad Juramentum nostrum, circa crimen Ambitus inter personas *offerentes* & *accipientes*. *Offerentes* enim hoc juramentum coërcet, sed non *recipientes*, quamvis & hi, qui pretium & mercedem pro commendatione ad obtinendum officium publicum stipulantur, pœnæ *L. Jul. de Ambitu* obnoxii reddantur, adeo, ut non solum stipulatio sit nulla & invalida, sed & insuper tam dans, aut promittens, quam accipiens arbitrarie puniendi sint, ut docent *Salicet. ad rubr. C. ad L. Jul. de Ambit. Ægid. Boss. in Pract. tit. de Ambit. Anton. Matth. de Crimin. ad lib. 48. Digest. tit. 11. c. 1. n. 4.* quorum sententia juvatur per *Nov. 8. c. 8. §. 1.* in verbis: *Et probetur aut aurum dans, ut accipiat administrationem, aut accipiens ex administratione (utrumq; enim similiter noxium est)* &c. Equidem *Tabor. in Tr. de Suffrag. peric. 4. §. 18.* distinguit, an aulicus vel consiliarius suffragium ferat ac stipuletur in *causis justitiam* concernentibus, an verò in *causis Principum gratiam* spectantibus, quam distinctionem digito quasi monstrat *Panorm. ad c. 11. X. de Fid. instrum.* ut *priori* casu, sicut ab omni suffragio, ita etiam à munere abstinere debeant, quia mandatis generaliter cautum est, ne vel Proconsul aut Præses, vel qui in officio est, donum munusque accipiat *l. 6. §. 3. de Offic. Proconf. l. 18. de Offic. Præsid. & arg. l. 1. C. Ut omnes jud. tam civ. quam mil.* Unde munera pro corruptelis sumi notat *Flacc. in Clav. voc. munus*, quomodo per allusionem Gifft pro Gabe apud Germanos invaluisse videtur, quod dona æque ac venenum accipientes corrumpant & perdant. *Posteriori* verò licitum sit aulico cuivis pro recommendatione, ut desiderium ad officium publicum perveniendi apud Principem promoveat, suffragium stipulari, quod probat quoque *Tulden. ad tit. C. de Suffrag. n. 3.* cujus rei plures assignari possunt rationes, quas recenset *Myler. ab Ehrenbach Hyparchol. c. 7. th. 30. & seq.* Verum quicquid etiam in favorem aulicorum, aliorumque officia publica ambientium, scribant alii, utrosque tamen pœnæ *L. Jul. de Ambit.* obnoxios esse dicit *Myler. cit. cap. 7. th. 35. & seq.* non tantum ob *dict. Nov. 8 c. 8. §. 1. & Nov. 161. in præfat. & c. 2.* sed etiam ex ea ratione, quod alias actum esset de Republ. & Civitatum gubernatione,

ne, si ad suffragia & recommendationes, pretio emtas, munera publica tribuerentur, hocque modo, illa mediante pecunia acquirendi, latus campus aperiretur. Optimo proinde consilio, juxta *Struv. in Crim. Dissert. 12. §. 7. ab Arcadio & Honorio in l. un. C. ad L. Jul. de Ambit.* constitutum est: Ne officialibus in aula prævalentibus grassandi copia detur, & fenestra ad nequitiam aperiatur, cassatis omnibus illis, quæ per sacras literas impetrata erant &c. ut reliqua, quæ *Myler.* hanc in rem accumulat, argumenta brevitatis gratia prætereamus.

§. 5. Res ipsa sive *Objectum*, de quo Juramentum hoc præstandum est, ex *una parte* sunt *Administrationes*, ut loquitur nostra *l. ult.* *ex altera* verò *parte* sunt *Crimina*, circa earundem acquisitionem & administrationem vitanda. *Administrationum* nomine quæ veniant, ex hactenus dictis, ut opinamur, satis constabit, *officia* scil. quævis, *tum ecclesiastica, tum* etiam *secularia*, circa quæ ambiens, eaque ob dona ac munera inique administrans, male versatur. Quamvis tum Ambitus crimen, tum etiam Juramentum ejus gratia receptum, circa beneficia Ecclesiastica ferme in desuetudinem abierit. Nam inter Romano-Catholicos ad Episcopatum nemo invitus amplius eligitur, sed curritur potius ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis essent constitutæ, quod jam olim *Petrarch. de Remed. utr. Fort.* improbavit: in Curiâ præterea Romana pleraq; beneficia certo modo venalia extant, ut ex *Taxa officiorum* typis vulgata satis liquet. Vid. *Octav. Vestr. lib. 1. Pract. Jud. Roman. c. 4.* Hinc duo libri Taxarum extant, quibus utitur Camera Apostolica, sive Curiâ Pontificis, à Joh. XXII. uti arbitratur *Gomez.* inventi, quorum primus mercedes Officialium expedientium literas Apostolicas taxat, secundus continet valorem beneficiorum, ex quibus *Annatæ* solvi debent, quæ etiam *communia* nuncupantur *Servitia in Concord. Nat. Germ. cap. 4.* quia solvuntur pro servitio Ecclesiæ fructus primi anni ex Archiepiscopatibus, Episcopatibus atque Prælaturis immediate Pontifici subjectis, post novi Prælati electionem, atque vocantur Annatæ, forte quasi *adnatæ*, quod reditus hi Episcopatuum aliorumque beneficiorum Pontifici in recognitionem supremæ potestatis quasi agnascantur, quippe qui juxta *cap. 6. de Prebend. in 6.* Ecclesiarum & beneficiorum Ecclesiasticorum plenariam dispositionem habet. Vid. *Wagnereck. ad Concord. Nat. German. d. cap. 4.* Qua occasione vero & quidem sat speciosa invaluerint, deducit

DN. PRÆ-

DN. PRÆSES in Differt. de Concord. Nat. German. cap. 2. num. 42. Inter Proteſtantes, licet Ambitus quoad functiones Eccleſiaſticas æque ac ſeculares improbatus ſit, juramenti tamen hujus, vel plane nulla, vel non niſi pauciora occurrere aut extare putamus exempla.

§. 6. *Crimina*, per hoc Juramentum excludenda, ſunt quidem diverſa, ſed ſibi invicem quaſi *ſubordinata*, *Ambitus* ſcil. quem haud raro comitatur *Barattaria*, atque illicita munerum acceptio, ut in ambitum male erogata pejori modo rurſus ſuppleantur, & reſtituantur, quæ ratio eſt, quod ſub *Rubr. L. Jul. Repetund.* hoc noſtrum Juramentum propoſitum reperiatur. De utroque in antecedentibus jam egimus. Salaria equidem ſine metu repetundarum dari & accipi poſſe, ipſum Juramentum noſtrum in verbis: *exceptis ſolatiis &c.* evincit, ſive ex fiſco aut ærario publico conſtituantur, ſive alio modo exſolvantur, hocque non ſolum Apoſtolus *1. Cor. 9. verſ. 9.* probat, ſed & monſtrat Pontifex *in c. charitatem. 45. cauſ. 12. quæſt. 2.* dum juſtum eſſe inquit, ut illi conſequantur ſtipendium, qui pro tempore ſuum commodare reperiuntur obſequium. Aſt illa munera, quæ, extra ſalarium Judici à litigantibus offeruntur, omni jure reprobata ſunt, ſive per ſimplicem donationem, ſive etiam per remuneratoriam aut aliam quamvis conventionem eidem accreſcant. Idem obtinet, ſi in ſpe lucri futuri conſiſtant. Subeſt enim hic eadem corruptionis ratio, quæ ex præſente pecunia alioquin oriri ſolet. Vid. *can. qui recte. 66. cauſ. 11. qu. 3.* Neque etiam depoſito officio remunerationis cauſa aliquid à litigantibus accipere permiſſum erit, nec porro eum in finem, ut acceleretur judicium, & breviori proceſſu expediatur cauſa. *Menoch. de A. J. Q. lib. 2. cent. 4. caſ. 342. n. 26.* Judicis enim alioquin eſt, ut, quantum poſſit, lites abbreviet, ac citius decidat. Nec etiam domeſticis ſuis, ut à litigantibus munera accipiant, *L. 1. C. ad L. Jul. Repetund.* concedere, aut, ut ſimulato commendationis officio eventus ſententiæ litigatoribus quaſi per indirectum vendatur, permittere debet, de quibus atque pluribus aliis hujus prohibitionis ampliationibus vid. *DD. paſſim*, *Menoch. cit. loc. Tiber. Decian. Tract. Crim. lib. 8. cap. 45. & ſeq. Vasq. p. 2. lib. 1. Controv. c. 37. Boer. dec. 153. n. 2. Anton. Perez. in C. ad L. Jul. Repet. n. 4. Anton. Matth. de Crim. lib. 48. tit. 8. c. 1. n. 7. & ſeq.*

§. 7. Excipit quidem *Ulpian. in l. 6. §. 3. ff. de Off. Proconſ. Xenia*, addito veteri proverbio: Οὔτε πάντα, οὔτε πάντη, οὔτε παρὰ πάν-

πάντων, cum valde inhumanum ſit, a nemine accipere, ſed paſſim viliſſimum, & omnia avariſſimum, quæ Xenia tamen ad munerum qualitatem *d. l. 6. §. 3.* haud producenda eſſe cenſet. Quare Interpretes, qui accuratius loqui amant, diſtinguunt à ſe invicem *dona, munera & Xenia*, atque totam quæſtionem *Ulpiani* in hanc ſummam contrahunt, quod Xenia iſta non debeant produci ad munerum qualitatem, nec ut venalis fiat ſententia. Sed licet eſculenta videantur eſſe calcar ſolum expediendarum litium, & minutula gratitudinis ſymbola, rectius tamen faciunt illi, qui omnem omnino à judiciis arcent largitionem, ſive ea in eſculentis conſiſtat, ſive in aliis rebus, tum ut periculum corruptionis evitet judex, quæ etiam ex eduliis naſci poteſt, tum ut omnem ſuſpicionem à ſe avertat, & ſcandalum aliis hac ratione datum impediat. Nam *l. 6. §. 3. de Off. Proc.* quæ Xenia accipere non prohibet, loquitur vel de ſolis illis, quæ initio magiſtratus à provincialibus Præſidibus offeruntur, vel, ſi etiam durante officio xenia accipere permiſſum fuerit, non ſtatim ad ea extendi poteſt, quæ intuitu judicii, quod exercetur, offeruntur. Hoc enim non dicit *Ulpian.* quod Xenia, dum judex eſt, à litigantibus accipere poſſit, quanquam forte ab aliis, & imprimis tempore adventus, dum nondum jurisdictionem exercere cœpit. Quod vero *L. Jul. Repetund.* per *l. 1. in f. & l. 7. §. 1. ff. ad L. Jul. Repet. l. 18. ff. de Off. Præſid* à quibusdam perſonis accipere permiſerit eſculentum & potulentum, quod intra triginta dies proximos conſumitur, id ſane intelligendum eſt non de eo, quod Judici offertur, ſed quod datur potius aliis Officialibus, ad quos etiam *L. Jul. Repetundar.* extenditur, aut quod datur Judici, ſed non à litigantibus, nec intuitu judicii. Judici enim, quà tali, & propter actus judiciarios omnis interdicta eſt acceptio, per *d. l. 7. pr. ad L. Jul. Repetund.* Vid. *egregie hæc explicans Dn. Ziegler. cit. Concluſ. 20. §. 36. & ſeq.* ubi tamen (1) excipit *Annonas* & *Capitationes*. Annonæ dicebantur, vinum, oleum, carnes & ſimiles res victui neceſſariæ: Capitationes pabula equorum, quas expenſas victuales etiam Jus Canon. probat *in c. 10. ✠. de Vit. & bon. Cler. & c. 11. §. inſuper. de Reſcript. in 6.* ita, ut ſub his non tantum itineris expenſæ & viaticum, ſed etiam ſumptus, qui neceſſarii ſunt, quamdiu judex operam dat partibus, intelligantur, nec non (2) *Sportulas*, quæ judiciorum cauſa ſolvuntur, de quibus vid. *Cujac. ad tit. C. de Sport.*

§ 8. *Forma*

§. 8. *Forma* hujus Juramenti in eo convenit cum aliis juramentis, quod debeat præstari per invocationem Divini Numinis, quâ inter gesta Candidati dignitatum & Officiorum testantur, se pro administrationibus sortiendis neque dedisse quippiam, neque daturos unquam postmodum fore, sive per se, sive per interpositam personam, in fraudem legis sacramentique, aut venditionis, donationisve titulo, aut alio velamento cujuscunque contractus: & ob hoc (exceptis solis salariis) nihil penitus, tam in administratione positos, quàm post depositum officium, pro aliquo præstito beneficio tempore administrationis, quam gratuito meruerunt, accepturos, prout formula hujus juramenti in nostra *l. ult. C. ad L. Jul. Repet.* præscripta testatur. Sic ergò in hoc Juramento æque ac in aliis Deus invocatur, tanquam *vindex* & *ultor* mendacii & perfidiæ, consuetis formulis, peculiarem tamen proponit *Nov. 8. in fin.* de quâ jam antea in *C. 1.* diximus. Essentialibus his accedunt varii ritus, erectio digitorum, vel tactus libri Evangeliorum, accensio candelarum, apertura januarum & fenestrarum, aliæve ceremoniæ, quæ tamen secundum locorum consuetudines variant, atque ad formam juramenti substantialem haud pertinent, cum Deus non ceremonias illas, sed cor respiciat, *arg. c. 12. caus. 22. qu. 5. Franzk. ad ff. tit. de Jurejur. n. 17.* Quamvis ad juramentum corporale & solenne, ad quod etiam hoc nostrum refertur, si non omnes, potiores tamen sint necessariæ, sicut & illud, quod sub initio officii inter gesta, sive publice atque in judicio, præstari debeat. Est autem hoc nostrum Juramentum partim *promissorium*, partim etiam *purgatorium*. Et quidem *promissorium*, quatenus de corruptione vitanda concipitur, perinde ut aliud juramentum Judicis & Assessorum, de quo vid. *l. 14. pr. & auth. Hodie. C. de Jud. nec non Ord. Camer. p. 1. tit. 57.* promissorium, & quidem dicasticum, quod causas judiciales respicit, esse dicitur à *Lauterbach. de Jurament. th. 46.* *Purgatorium* vero, quatenus Ambitum non commissum complectitur, etiamsi jurans nulla diffamatione, quæ alioquin juramentum præcedere debet, gravatus sit, quod ipsi quoque juri Civili congruit, juxta *Auth. Novo jure. C. de Pœn. Jud. mal. judic. ubi vid. Salicet.* qui tamen hoc speciale & ad alia non extendendum esse dicit. Consentit *Mev. ad Jus Lubec. lib. 1. tit. 1. art. 4. n. 11. & 12.*

§. 9. *Effectus* nostri Juramenti multiplex est. *Primus* concernit obligationem erga Deum, qua jurans ipsi obligatur ad enunciationis suæ veritatem & fidem, ut sc. quod ambitum non commissum

candide veritatem dicat, quoad cætera capita verò promissum fideliter impleat, sicq; juramentum sancte & inviolabiliter servet. Vid. *Setser. lib. 1. de Juram. c. 25. n. 2. & seqq.* Unde oritur *alter*, ut inde magis securus reddatur Superior constituens, cui hoc juramentum præstatur. Etsi enim ex juramento, qua tali, & secundum ejus propriam naturam, ei, cui juramentum præstatur, nullum jus quæratur, quo ab invito aliquid possit exigere, ut pluribus deducit *Dn. Lauterbach. in Tract. Synopt. de Juram. th. 30. & seq.* securus tamen per juramentum proximus quivis reddi debet, ita quidem, ut si jurans vinculum ejus neglexerit, hujus perfidiæ promeritas, & in jure determinatas pœnas luere debeat.

§. 10. Quanam verò pœna *Ambitus* pro diversitate temporum de Jure Romano puniatur, ex *l. un. §. 1. & ult. ff. ad L. Jul. de Ambit.* nec non *ex l. un. C. eod. & Nov. 8. c. 8.* sufficienter cognosci potest. Quomodo porro coërceatur crimen Repetundarum, pecuniaria sc. & extraordinaria pœna, itidem ex *l. 1. & l. nostra ult. C. ad L. Jul. Repet.* nec non *ex l. 7. §. 1. ff. eod. l. 38. §. 10. de Pœn. & dict. Nov. 8. c. 8. §. 1.* liquet, ex quibus textibus apparet, quod pœna quadrupli, in hac nostra lege præscripta, tanquam pecuniaria, graviorem atque criminalem non excludat, de quibus omnibus latius videri potest *Myler. ab Ehrenbach in Hyparchol. c. 14. per tot.* Quadruplum verò illud, in nostra *l. ult.* determinatum, inter actorem & fiscum dividendum esse, arg. *l. 3. C. de Assess. & autoritate Gloss. in l. 1. C. ad L. Jul. Repet. Dd.* communiter asserunt. Vid. *Farin. Quæst. Crim. 111. n. 63. Paris de Puteo de Syndic. in verb. Corrumpens. vers. an si tempore. n. 2. Colleg. Arg. ad L. Jul. Repetund. n. 6.* nisi ex parte læsi & dantis propria turpido concurrat, tunc enim quadruplum Fisco applicandum est, ex mente *Gloss. in l. 1. C. ad L. Jul. Repet.* Sed enim hæc, quæ quadruplum concernunt, hodie usum vix habere videntur: siquidem utrumque delictum arbitraria ut plurimum & extraordinaria punitur pœna, quam concurrens aggravat perjurii reatus. Etsi enim in perjurium de Jure Romano nulla ordinaria constituta reperiatur pœna, atque contemta religio Deum satis ultorem habeat, per *l. 2. C. d. Reb. cred.* Vid. plura huc facientia apud *Carpz. p. 1. Prax. Crim. q. 46. n. 3. & seq.* Extraordinariam tamen, interque eam infamiam, violatio fidei juramento firmatæ promeretur, juxta *l. 41. C. d Transact. aliosq; textus.* Vid. *Struv. ad tit. ff. d. Jurejur. th. 55.* quæ hodie quam maxime invaluit, ut docet *Carpz. p. 1. Prax. Crim. q. 46. n. 43. & seq.* hæcq;, si cum perjurio vel Ambitus, vel etiam Repetun-

tundarum crimen concurrat, pro ratione circumſtantiarum augetur. Certi ſiquidem juris eſt, quod, ſi plura ac diverſa concurrant delicta, quæ ſingula diverſis pœnis corporalibus ac civilibus puniuntur, non niſi una, ſufficiens tamen pro omnibus, imponenda ſit, prout pluribus deducit *Carpz. p. 3 Prax. Crim. q. 132. n. 67. & ſeq.* nec non *n. 78. & ſeq.* Et quamvis regulariter Judex aut Officialis, durante lite ac inquiſitione ſuper his ſordibus, neq; ab adminiſtratione ſuſpendi, nec etiam removeri queat, ut per varia argumenta deducit *Myler. ab Ehrenbach cit. c. 14. th. 17. & ſeq.* hoc ipſum tamen limitatur, niſi ſcandalum publicum concurrat, aut ex informationibus & inquiſitionibus jam de veritate commiſſi ſceleris, quod utplurimum cum aliis pœnis remotio comitatur, aliqualis fides appareat. Vid. *Dn. Garſ. Marſtrill. dec. 188. n 18. atq; Tuld. ad C. ad L. Jul. Repet. n. ult.*

§. 11. Inter varia ergo, quæ contra Ambitum & Corruptiones Officialium recepta ſunt, remedia, quibus etiam DD. ad Barattariam vitandam ſuo modo accenſent ſufficiens ac condignum ſalarium, inque eo à non paucis Superioribus peccari cenſent. Vid. *Guil. Anton. Freundeberg. de Reſcript. morat. concluſ. 67. n. 66. lit. l. l. l.* præcipuum fere eſt, ſi juramento Officialium clauſula inſeratur, prohibens, ne per ambitum ad functiones adſpirent, neve etiam in eâ conſtituti quicquam pro adminiſtratione eorum, quæ officii alioquin ſunt, accipiant. Hæc clauſula quidem quoad *poſteriorem partem* adhuc hodie in plerisque Officialium Juramentis conſpicitur, unde non ſolum in *Ord. Cam. p. 1. tit. 57.* in formula Juramenti, Judici atque Aſſeſſoribus Cameralibus præſcripta, ſequentia inveniuntur verba: Auch von denen Partheyen / oder jemands anders keiner Sachen halben / ſo in Gericht hanget / oder hangen würde / keine Gabe / Geſchenck oder einigen Nutz / durch ſich ſelbſt / oder andere / wie das des Menſchen Sinn erdencken möchten / zu nehmen oder nehmen laſſen. Vid. *Magenborſt. ad Ord. Cam. cit. tit. 57.* ubi teſtatur, ſe hoc juramentum bis, & quidem ſemel, ut ordinarium Aſſeſſorem, deinde ut extraordinarium præſtitiſſe; Sed etiam in ForoSax. Juramentis, à Præſidibus & Aſſeſſoribus Curiarum Provincialium nec non Judicii Appellationis præſtandis hæc inſerta reperiuntur: Ich ſchwere &c. als mich der Churfürſt zu Sachſen &c. &c. in &c. zu ſitzen verordnet hat / daß ich daſelbſt zu Rechte / nach meinen höchſten Verſtändnüß ſprechen / thun / und handeln will / und das nicht laſſen um Liebe / Neid / Gabe / Freundſchafft / noch keinerley Sache willen / auch

auch darum von denen Partheyen insonderheit nichts nehmen / oder wissentlich wartend seyn. Vid. die Ordn. des Churfl. Sächsischen Ober-Hof-Gerichts zu Leipzig *de Anno 1549. sub rubr.* Eyd des Hof-Richters und Beysitzers / nec non die Appellation-Ordnung *sub rubr.* Eyd des Præsidenten und Beysitzers. In hunc quoq; finem Jure Lubecensi provisum est, ut nemo Senatorum illius causæ nomine, quæ Civitatis libertates, justitiam, judicia & jus concernit, munera accipiat, quo nomine singuli quotannis, quando officia Senatus translocantur, juramenti vinculo constringuntur. Vid. *Mev. ad Jus Lubec. lib. 1. tit. 1. art. 4. n. 10. & seq.*

§. 12. Quoad *priorem* verò clausulæ hujus partem diffitendum equidem non est, rariorem ejus in formulis *Juramentorum*, à Judicibus, Assessoribus, Magistratibus atq; Officialibus præstandorũ, fieri mentionem, adeoq; etiam in Juramentis, per *Ordinationem Cameræ atq; Ordinationem Judicii Aulici* præscriptis, omissam esse. Attamen quia Legum autoritas nequaquam evilescit tempore aut non usu. *Donell. lib. 1. Comm. c. 12. & Tabor de Alter. tant. p. 4. art. ult. th. 11:* quod exemplo declarat *Brunnem. ad l. ult. ff. de Calumn.* insimulq; hoc Juramentum inter cætera remedia contra corruptiones Magistratuum & Officialium introducta, per jam tradita, præcipuum fere est; Eapropter quivis, qui Judicem Magistratum aut Officialem constituit, juramento sub auspicio, functionis præstando eandem & quidem hunc ob finem inferere potest, ut ab Ambitu magis abstineant promovendi, aut eum committentes promtius puniantur, sicque pœnæ etiam salutis timor conjungatur, juxta nostram *l. ult.* Non immerito ergo, teste *Perez. ad tit. C. ad L. Jul. de Ambit. n. 7.* Hispaniarum Rex & Belgarum Princeps *Edicto de An. 1627.* sancivit, ut quisq; ante officii provisionem juraret, nemini se quippiam dedisse, aut promisisse functionis impetrandæ gratia, eosq; perjuros reddidit, qui restrictionibus mentalibus vim & effectum Juramenti hujus eludere conati fuerunt.

Hæc de nostro Juramento, Exercitii Academici loco, sufficiant, supplenda pro Candore suo B. L. ipse adjiciat: Nobis siquidem hâc vice nil nisi brevitas studio fuit, & tamen, ob amplitudinem materiæ, præter expectationem pagellæ nostræ excreverunt. DEO interim pro gratia, qua Nobis in hoc labore clementissime assistere voluit, laudes persolvimus subjectissimas.

F I N I S.

Acri-

ACriter ingenii, SCHWARTZI, dum
prælia miſces,
Dum cathedram ſcandis, themata
docta docens;
Et mentis prodis longè clariſſima
dona,
Et monſtras multas ſedulitatis
opes.
Lætus ego acclamo tantis conatibus:
Euge!
Optoque, ut in patria præmia
digna feras.

SCHWARTZIO *ſuo chariſſimo, cujus egregia Pietas, cordata Fides, atq; indefeſſus in Studiis labor Patronorum quam maxime promerentur favorem, eundem non ſolum cum Numinis Divini Gratia ineffabili, ſed & feliciſſimum ex Academiis ad Negotia forenſia diſceſſum prolixo affectu apprecari:*
voluit

HENRICVS Linck / D.

Hacte-

HActenus ingenuas didicisse fideliter artes
Juverat, & Studiis incubuisse sacris.
Hactenus edocta est mens dogmata Juris & Æqui,
Nunc Studii docti dat documenta sui.
Prælia docta moves, SCHWARTZI *doctissime, Laurus*
Certantem docte Palmaq; sacra manet.
Palma venit meritis: Tu moxque vocabere Gentis
Et Decus, & Patriæ Gloria prima Tuæ.

Nobilissimo Eruditissimoq; DN. DISPUTATURO, de egregio planeque insigni edecumatæ eruditionis Specimine, haud paulo plus quam fando exprimi potest, gratulaturi, inculto hoc & breyissimo versu, animo tamen plane defæcato & prolixissimo, euge & belle laudatissimis ejus Conatibus acclamant

CONVICTORES.

